DE RHEUMATISMO NONNULLA,

ADJECTA HISTORIA MORBI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. JUNII A. MDCCCXLIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS HOLZHAUSEN

NEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

R. NEITHARDT, med. et chir. Dr.

E. GEYER, med. et chir. Dr.

W. DEETZ, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI OPTIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LITERATURA.

Ballonius da Rheumatismo.

Vigierus, Tract. de catarrho., Rheumatismo et immodica et indecora salivatione. Genev. 1623.

Wedel, Diss. de catarrho et Rheumatismo.

Clerk, D. de Rheumatismo. Edinb. 1746.

Junker, D. de congestionibus vulgo catarrhis et Rheumatismis. Halle 1748.

Vaughan, Diss. de Rheumatismo. Edinb. 1756.

Admiraal, de Rheumatismo G. B. 1777.

Goldhagen, Analecta de Rheumatismo. Halle 1782.

Ascher, Tentamen exactius investigandi, qua ratione Rheum. ut Arthritide differat. Goett. 1791.

Kaehler, D. Pathologia Rheumatismi. Erl. 1795.

Grebel, de Rheumatismi sthenici et asthenici Natura et curatione. Jena 1802.

Bardel, Recherches theoriques et prat. sur le Rheumatisme et la goutte. Paris 1803.

Thaden, Von dem Rheumatismus und der Gicht. Erl. 1804.

Chomel, Essay sur le Rheumatisme. Paris 1812.
Gosse, des maladies rhumatoides. Geneve 1826.
Dzondi, Was ist Rheumatismus und Gicht. Halle 1829.
Reveillé, Paris, Ueber den Rheumatismus. Paris 1835.
Eisenmann, Die Krankheits-Familie Rheuma. Erl. 1841.

Ex amplo theoriarum, quae de rheumatosium indole vigent, numero tres tantum breviter adumbrabo, quippe quae plurimorum nostri aevi pathologorum suffragia tulerint.

Sententia maxime divulgata, ad veterem theoriam humorali-pathologicam de acri rheumatico proxime accedens, ea est, quae proximam morbi causam in sudore represso collocari jubet. Hancce, ajunt, scoriam cutaneam, si processibus criticis non excernatur, per sanguinem circumvectam ad omnes partes deduci et hic illic deponi, quo fiat, ut topicae affectiones rheumaticae et degenerationes oriantur. Veruntamen dicta hypothesis omni destituitur argumentatione; partim enim perfrigeria et rheumatosis corporibus non sudantibus superveniunt, partim praegresso perfrigerio cutis transpiratio non semper oppressa, imo vero in morbis rheumaticis haud raro praeter modum adaucta deprehenditur; ceterum vix crediderim, secretum maxima ex parte aquosum, si sanguini, ex quo modo depromptum est, rursus admisceatur, tam graves exserere posse effectus. Mutata sanguinis crasis, quam statuunt, nullis probatur argumentis. Illud solum de sanguinis indole in rheumatosibus certo compertum habemus, fibrinam esse adauctam, sed in acutis tantum rheumatismis. Quale autem commercium

secretio saepe larga connubiorum uricorum e sanguine rheumatico cum processu morboso alat, diremtum non est, quoniam de ratione, qua acidum uricum in sanguine oriatur, diversissimae hypotheses agitantur.

Alii paralysin nervorum cutaneorum frigoris injuria tactorum defendunt, qua fieri dicunt, ut manca aut nulla electricitatis animalis evolutio in cutis superficie eveniat, itaque, quod necessario consequatur, electricitas in tela subcutanea accumuletur. Nemo sane ignorat, cutem statu normali electricitatem liberam excludere, id quod electrometro cognoscimus; in rheumatismis autem febrilibus subtilissimum electrometrum ne vestigium quidem liberae electricitatis ostendit. At quidem alii turbatum electricitatis atmosphaericae et organicae aequilibrium, alii electricitatis atmosphaericae positivae et organicae negativae neutralisationem, aut vice versa morbum inferre, alii denique corpus electricitate obrutum rheumatismi causam suppeditare opinantur.

Auctore Eisenmann electricitas quantitate potentior, quae praecipue respiratione corpori advehatur, et thermoelectricitas, quae temperiei vicissitudine in ipso organismo gignatur, vasa capillaria excitat et ad plasticen anomalam adigit, electricitas enim principium est vitale, quod ubique actionem et vitam suscitat, sin excitatio partis excitatae capacitatem superat, vitalitatem excessivam seu morbosam et decompositionem efficit. Quibus principiis etiam explicari posse, Eisenmann contendit, quod aër humidus et crebra temperiei vicissitudo rheumatis origini faveant. Etenim aëris humor cum quantitate electricitatis atmosphaericae justam proportionem alit, veruntamen humor aëris ad necessaria attributa constitu-

tionis rheumaticae non pertinet. Eisenmann porro tradit, quemadmodum temperiei vicissitudine, e. gr. glaciei liquefactione, electricitas evolvatur, et quemadmodum metalla ferruminata variarum partium temperatura differente electricitatem concipiant, ita etiam perfrigeria sic dicta effectibus suis thermoelectricis causam morbi constituere. Injurias autem ultimo loco positas, nempe aëris humorem et temperiei vicissitudinem, non solas rheumatis causas, sed praecipue rheumaticam atmosphaerae constitutionem esse statuendam, quae electricitate potissimum efficiatur, ex eo patere censet, quod, si satis evoluta sit, per se rheumatoses inducere queat, etiamsi earum origo aliis injuriis, ut perfrigeriis, non adjuvetur. Nonnunquam enim, si epidemicae rheumatoses vigent, homines iis submitti videmus, qui neque cubiculum neque lectulum reliquerunt, e. gr. ex aliis morbis convalescentes, vulneratos, puerperas. Quodsi autem rheumatica constitutio majorem evolutionis gradum assecuta non est, sola rheumatoses gignere nequit, sed magnam tantum praedispositionem corporibus infert, quae levi perfrigerio in morbum exquisitum verti potest.

Quam sententiam Eisenmann in opere de rheumatum familia tam probabilem reddidit simulque experimentis ei faventibus fulcire studuit, ut ab eo non plane dissentiamus. Ceterum multa ad rheumatosium indolem, genesin et decursum pertinentia optime hacce theoria explicantur. Proh dolor autem physicis de organismi electricitate experimentis alia obstant, quarum longe diversa, imo contraria ratio est, quibus igitur fundamenta illius theoriae admodum ambigua redduntur.

Alii demum rheumatosium indolem ita interpretari conantur, ut, cutis externae offensionem aëris contactu inductam ad

medullam spinalem provehi indeque ad nervos vaso-motorios reflecti, qua ex causa stases singulares in variis partibus oriantur, contendant. Nititur haec sententia lege physiologica de actionibus reflexoriis, qua etiam organismi reactio in varias atmosphaerae injurias, haud dubie reflexione in nervos vaso-motorios orta, efficiatur. Atmosphaerae contactus autem detrimenta infert, si ejus insultum legitima illa reactio non sequitur, i. e. si reflexoriae actiones consilio valetudinario, quod in eo est, ut resistentia organica contra incitamenta nocentia servetur et firmetur, haud satisfaciunt. Sympathiae quidem nerveae, quae mediante medulla spinali inter cutis et omnium fere organorum nervos efficiuntur, adeo diffusae sunt, ut diversissimorum perfrigerii graduum origo tali ratione probe intelligatur. Actiones reflexoriae abnormes praecipue in vasis capillaribus partium singularium aut complurium sub forma stasium, saepe in nervis sensiferis forma neuralgiae aut anaesthesiae, in nervis motoriis imagine spasmi, vel, quod frequentius est, paralyseos se manifestant. Quodsi medullae spinalis irritatio, aëris atmosphaerici cum cute contactu inducta, saepius accedit, irritabilitas ejus praeter normam evehitur, quo fit, ut causis levissimis reflexiones abnormes oriantur. Irritabilitas morbose exaltata medullae spinalis plerumque evanescit, simulatque proximae sequelae mutationum organicae materiae primitivarum, perfrigerio inductarum, per restituentes processus functionum normalium compensatae sunt, id quod eo promtius fit, quo alacrior materiarum vicissitudo, eo tardius, quo inertiores organismi functiones regenerantes sunt, tardius ergo apud homines imbecillos, aetate provectiores, ex morbo convalescentes. Hacce theoria etiam rheumatosium fugacitas et

propagationis modus satis bene explicatur. Medulla spinalis centrum est mutui commercii sympathiarum seu actionum reflexoriarum nervorum cutaneorum; hoc in centro impressio primitiva, a periphericis nervorum finibus tradita in reactionem mutatur; vera igitur incitationis causa in ipsa medulla spinali posita est. A ratione et propagatione, qua commercium illud inter periphericam impressionem et reactionem, seu sympathica cum medulla spinali communicatio, perpetratur, modus efficacitatis pathicae perfrigerii, ergo sedes et forma morbi, quem perfrigerium efficit, pendent. Tanta esse potest earum varietas, quantus fibrarum nervearum e medulla spinali eradiantium numerus, et fugacitas vel alternatio affectionum rheumaticarum aeque ac symptomatum hystericorum fugacitas, alterna communicatione incitationis ab una medullae spinalis parte cum altera explicatur. Praeterea mirae intermissiones typi rheumatosium et synchronica partium symmetricarum offensio systematis nervorum affectionem innuunt. Ceterum facilitas, qua stases rheumaticae partes affectas relinquunt, etiam a singulari indole exsudati rheumatici pendet, quippe quod semper fere serosum tantum sit, facile igitur resorbeatur, qua de causa resolutio inflammationis cita contingere potest.

Morbosa medullae spinalis conditio modo descripta, quae permanes evadere potest, minime vero totam medullam, sed tantum singulares ejus partes adgreditur, musculorum contracturis in chronico rheumatismo saepe obiis lucis aliquid affundit; hae enim pendent a continua incitatione, qua origines fibrarum nervorum relative motoriorum intra organa centralia detinentur. Frequentissime illae contracturae in extremitatibus,

manuum pedumque digitis, quandoque in collo et trunco, ubi columnae vertebralis curvaturas inducere queunt, animadvertuntur. Quae quidem contracturae, continuae musculorum irritationi originem debentes, ab iis probe discernendae sunt, quibus paralysis aut atrophia musculorum (quae etiam rheumatoses sequi possunt) subest, itaque antagonistarum contractura exoritur.

Haec etiam theoria magnam probabilitatis speciem prae se fert et haud dubie hodiernae physiologiae et pathologiae conditioni maxime respondet, quippe quae mira nonnulla rheumatosium symptomata satis expedite interpretetur et principiis physiologicis bene stabilitis nitatur. Huic sententiae equidem plurimum adstipulor, imo eatenus diserte eam amplector, quatenus explicare tantum conatur, quonam modo principii agentis, quod rheumatoses profert, efficacitas definienda sit. Quod alteram attinet partem, quae contactui aëris atmosphaerici effectus saepe mirificentissimos simpliciter adscribit, Eisenmanni opinionem amplexus crediderim, electricitatem gravissimas in atmosphaerae effectibus partes agere, non solum igitur humorem, calorem, frigus, aëris perflatum, esse accusandos. Saepe enim rheumatoses hominibus supervenire videmus, qui ab injuriis novissime dictis omnino tuti fuerunt et summa cum providentia ab omnibus perfrigerium inferentibus defendebantur. Quum igitur constet, electricitatem statu normali aliquas partes agere, siquidem magna electricitatis liberae copia in cute commonstrari queat, facile est intellectu, statu morboso, quo omnes functiones plus minus anomali habent, electricitatis evolutionem normae consentaneam ad anomalias deflecti et fluidum,

cujus potentissimi sunt effectus, a statu normali abalienatum perturbationes maximas inducere posse.

Reliquum est, ut ad explicandum morbi casum, quem infra fusius descripturus sum, nonnulla de rheumatis forma quadam adjiciam, quae rara quidem, sed per sequelas periculosissima et scitu dignissima est: rheumatoses innuo medullae spinalis cum exitu in paralysin, i. e. paraplegiam rheumaticam, seu duce Eisenmann Myelo-rheuma paralyticum.

Effecitur hic morbus stasi rheumatica in medulla spinali ejusve membranis, (saepius quidem in his) quae praecipue in funiculos medullae motorios reagit eorumque functionem opprimit. Stasis illa vel in regione lumbari sedem habet solamque artuum inferiorum paralysin excitat, cui sphincterum paralysis supervenire potest, vel superiorem tantum medullae partem adscendit et extremitates tam inferiores quam superiores resolvit, imo interdum ad medullam oblongatam porrigitur et nervi hypoglossi, ergo linguae, resolutionem causatur, id quod Jos. Frank et Keyler observarunt. Sensibilitas plerumque hac paralysi non turbatur, attamen exempla innotuerunt, in quibus stasis etiam funiculos medullae spinalis sensiferos tentaverat. Nonnunquam morbus paulatim evolvitur, ita ut aegrotantes initio tantum languorem et gravitatem artuum inferiorum conquerantur, quae sensim eo usque increscunt, donec harum extremitatum usus vel ex parte vel ex toto intercipiatur. Plerumque autem paralysis satis rapide excolitur, imo adeo repente irruit. Quandoque, at non semper, sensibilitas partium resolutarum exstinguitur, conscientia minime alienatur; pupillae nonnunquam dilatantur et in lucem non reagunt, praesertim si superior medullae spinalis pars affecta est. Quodsi morbus

durae matri medullae spinalis insidet, vertebrae correspondentes aut pressione adhibita aut sponte dolent; febris utplurimum deficit. Generatim morbus chronicum decursum emetitur multosque per annos protrahi potest. Mors, si accedit, morbo ad cerebrum propagato, serosis exsudationibus et signis paralyseos cerebralis paulatim emergentibus, inducitur.

Huic morbi formae casum adnumerandum censeo, quem modo descripturus sum, quanquam ingenue fateor, eundem non omni ex parte cum descriptionibus congruere, quas auctores exhibuerunt. Hoc vero ex descriptione patebit, affectionem medullae spinalis rheumaticam adfuisse, quae in paralysin artuum superiorum et inferiorum exierit; partim vero paralysis non completa, totalis fuit, partim principes omnium extremitatum articuli adeo fuerunt contracti, ut nulla omnino extensio, attamen in cubitorum articulationibus exiguum augmentum flexionis spontaneum effici et manus humero circiter duos vel tres pollices propius admoveri posset, quam inter quietem.

Nostro in casu singularis induratio et contractio totius cutis, quae adest, vix a coagulatione exsudati pendere videtur, quoniam chronica saltem inflammatio telae cellulosae subcutaneae antecesserit, necesse foret, cujus symptomata nunquam adfuerunt; praeterea statuendum non est, talem inflammationem tota cute potiri posse. Proinde vera telae cellularis contractura locum habere videtur, et si musculorum contracturas in irritatione finium relativorum nervorum motoriorum in medulla spinali cerni putamus, telae cellulosae contractionem eidem processui imputare possumus.

Mira est ratio harum contracturarum, quae ceterum in solis musculis flexoribus occurrere videntur, et proxima earum

causa nondum satis explicata. Origo earum ea cogitari potest, ut paralysis solorum extensorum statuatur, quam flexorum contractio necessario sequatur. Tantummodo si hanc contracturarum genesin defendimus (ex paralysi et atrophia musculorum extensorum), si igitur contracturam paralyseos sequelam existimamus, hunc morbi casum quoad indolem suam pro rheumatica paralysi habere licet, quam quidem sententiam profiteri ausim, vix enim cogitari potest, incitamentum nervosum, quod talem contracturam efficere valeat, tamdiu continuum fore, id enim concedamus necesse est, si contracturam perpetua medullae spinalis irritatione, atmosphaerae contactu inducta, proferri judicamus. Priusquam enim tales contracturae accedunt (id quod rheumatismo demum longius protracto evenit), medullam spinalem tam graviter et continuo irritari oportet, ut tandem prostratio energiae et paralysis medullae ipsius prius oriantur. Musculos diutius contractos tandem alienationes subire, facile suspicari licet, quum eorum contractiones ad majorem gradum evectae tantae sint, ut prius rumpi quam extendi possint.

Extensorum paralyseos causa vel in chronica processus rheumatici luxuriatione in tela cellulari nervorum intermedia, aut in neurilemate, vel in exsudato, in tela nervorum intermedia et in eorum vaginis deposito, collocanda est, ita ut pressio in ipsos nervos exseratur, aut denique in manca et vitiosa substantiae nerveae nutritione, in degeneratione ejus, aut atrophia. Non possum, quin propriae contractionis et indurationis telae cellulosae, in chronicis rheumatismis saepe observatae, mentionem faciam. Generatim tela cellularis indurescere potest organisatione exsudati inflammatione exorti, aut contractione

spastica, aut si substantia solidiore, ut adipe, massa scirrhosa etc. impletur.

MORBI HISTORIA.

Joanna Rangette, novem et triginta annos nata, ex familia oriunda, cujus plurima membra imbecilla morbisque implicata fuerunt. Pater et quinque germanarum una phthisi pulmonali obierunt, germanorum alter cordis morbo, alter rheumaticis affectionibus vehementibus laboravit. Ipsa aegrota semper infirma fuit; anno aetatis quinto in longo intinere manus pedesque frigore congelabant, eaque affectio quavis hieme redibat. Lancinantes artuum dolores nunquam adfuerunt, sed ardor et pruritus. Morbis infantilibus sese laborasse, non meminit. Consecrata per semestre morbo psychico, religiosis causis exorto strenuaque educatione inducto, obnoxia fuit. Circa pubertatis periodum menses tempestive accesserunt, semper autem parcissimi, quanquam per dies circiter sex, fluxerunt et moliminibus plane caruerunt. Ad duodevicesimum vitae annum in patria domo vixit, ubi neque praematuris contentionibus, neque externis injuriis submittebatur. Ab anno duodevicesimo ad tricesimum primum servitia fecit et ne tunc quidem frigoris et humoris efficacitati valde obnoxia fuit. Anno tricesimo primo nupsit lithographo et post quinquennium demum partum edidit. A primo inde matrimonii anno oculi frequenter aegrotarunt, levissima enim injuria, ut perfrigerium etc. modo unius modo alterius oculi, nunquam utriusque, inflammationem induxit; attamen affectio nunquam gradum majorem obtinuit, sed mox vesicantium, hirudinum et cucurbitularum applicationi cessit. Crebra oculorum affectio, quum haud dubie rheumatica

fuerit, ingentem aegrotae ad morbos rheumaticos dispositionem indigitare videtur. Aestate molestiae illae non mediocriter remiserunt, plane autem quinto matrimonii anno, quo concipiebat, evanuerunt. Vir Celeberrimus Juengken tunc temporis eam curavit morbumque oculorum malo haemorrhoidali artificialiter evocato prospere sustulit; nodi enim haemorrhoidales, plerumque hebdomadibus quaternis sanguinem reddentes, apparuerunt. Haud dubie nodorum haemorrhoidalium origo pressione foetus in venas majores admodum fovebatur. Quinto matrimonii anno post graviditatem octrimestrem primus partus sine parturientis moliminibus edebatur et forcipis usus requirebatur. Fluxus lochialis parcus erat, aliae molestiae partum non excipiebant. Infans infirmissimus post sextam hebdomadem obiit; lactis secretio sine incommodis desiit. Ab eo inde tempore plures simul injuriae in aegrotam irruebant, quae morbi evolutioni successivae lucis aliquid affundunt. Post primum partum uteri prolapsus mansit, qui effecit, ut urina semper guttatim et invita mente secederet, lintea perpetuo madefaceret eorumque crebram permutationem exigeret. Attamen valetudinis detrimenta inde oriri, aegrota non animadvertit; prolapsus paulatim sua sponte recessit. Anno elapso aegrota post novimestrem graviditatem alterum infantem edidit et partus, quanquam molimina leviora erant, sine instrumentorum auxilio successit. Mater prolem, quae adhuc vivit et sana est, modo per aliquot hebdomades mammis nutrivit, quippe lac deficiebat. Proxime artificialis infantis nutritio, ad hiemem anni 1845 protracta, multas matri molestias intulit; etenim infans, tali adsuefactus mori, nocturnam curam exigere et aegrota, ut cunas agitaret, pedem e stragulis protendere solebat. Hac

cruris denudatione in cubiculo per noctem frigido repetitum perfrigerium mater tulit, inprimis quum uteri prolapsu partum secundum secuto iterum invitus urinae secessus (diurnus etiam) et corporis mador essent inducti. Aliquando aegrota, nocturnam curam infanti impendes, subito rigore non dolorifico musculorum dorsalium ita tentabatur, ut sese erigere non posset, quae tamen affectio sua sponte cessit.

Quas injurias omnes valetudinem ita fregisse patebat, ut primum faciei color antea vegetus interiret sensimque in flavidum cum coeruleis oculorum annulis mutaretur. Aegrota macrescens languorem et dedolationem omnium artuum sensit, negotiis domesticis non sola amplius fungi potuit, quia saepe lectulum petere cogebatur. Praeterito puerperii tempore catamenia redierunt, parcissima autem, ut prius. Haemorrhoides etiam per intervalla fluxerunt; reliqua valetudo, si debilitatem excipias, usque ad secundum annum post alterum partum mediocris fuit. Mense enim Augusto a. 1847 catamenia et haemorrhoides simul fere cessarunt, quum ultima vice satis large fluxissent. Eodem fere tempore ardorem et pruritum in dorso, in superioribus columnae vertebralis partibus et inter scapulas sensit, quare cucurbitulae quatuor femoribus imponebantur, effectu tamen carentes. Languorem simul increscentem sensit, primum quidem in superiore corporis dimidio, praecipue artubus superioribus, ut manus non amplius ad dorsum adigere posset. Languor et dedolatio paulatim ad inferiores artus processerunt, quare gressus et praecipue scalarum adscensus admodum inhibebantur; sensationem accusabat nostra, tanquam tendines debito breviores essent. Dicta symptomata satis celeriter creverunt. Mense Novembri a. 1847 per quatuor heb-

domades in nosodochio Elisabethano balneis calidis circiter septem 32° R. utebatur; inter tertium balneum perfrixit, quoniam hypocaustum frigidum erat; sudor recessit balneisque sequentibus revocari non potuit. Post quintum balneum rheumaticae affectiones supra dicta magna ceperunt incrementa. Sub medium Decembrem reliquit nosocomium et domi curationi homoeopathicae se submisit, etenim ambo genua contrahebantur absque dolore, punctionis autem et ardoris sensus in tota cute vigebat. Curatione homoeopathica menses et haemorrhoides restituebantur, quorum illi semel et parci, hae vero inter alvi dejectionem copiosae fluxerunt totamque per curationem, a mense Decembri ad Martium, quaternis hebdomadibus largae intraverunt, praeterea unaquaque alvi excretione sanguinis aliquid secessit; paralyseos symptomata neque increverunt neque decreverunt. Ineunte Aprili a. 1848 ad caritatis nosocomium deferebatur ibique a Celeberrimo Wolff curabatur. Tunc temporis genuum articuli minus quam nunc contracti, artus superiores mobiles erant, corporis pars superior leviter moveri poterat. Tria adhibebantur balnea 32° R. interne infusum rad. Serpentariae cum liquore ammoniaci succinici exhibebatur. Mense Majo articuli contracti paulo mobiliores evaserunt; aegrota decoctum Sarsaparillae cum infuso Calami et spiritu aetheris nitrosi sumsit; praeterea balnea calida et infrictiones olei amygdalarum administrabantur. Mense Junio tinctura Colotynthidis (℥β) cum spiritu saponato (℥jj) sine fructu infricabatur; sub medium Junium decocti Levistici cum infusi Rhei (āā ʒjj) ℥vj, spiritus aetheris nitrosi ℈jj imperabantur. Ob diarrhoeam medicatio per aliquot dies suspendebatur, tum vero remedia pristina, tamen aliquanto leviore dosi, praebebantur

Mutationes essentiales non accesserunt; ortum vero est exanthema pustulosum, in axillis incipiens, paulatim totum super corpus dimanans, cujus indoles initio ambigua erat et critica existimabatur. Proinde balneorum usus continuabatur et potioni natrum bicarbonicum (ʒj—jj per diem) adjiciebatur; praeterea saturatio (℥vj cum kali carbon. ʒj) praescribebatur et cutis singulari modo rigida et sicca lardo perungebatur, nec non balnea furfuracea administrabantur, quae omnia nihil omnino praestiterunt. Mense Augusto lardi inunctiones continuabantur, attamen cutis, ut antea, rigida, tactu calida erat, nunquam sudabat; urinae secretio admodum parca. Medio Augusto aegrotis scabie laborantibus interserebatur ibique unguento anglico contra scabiem et balneis sulphuratis curabatur, quo factum est, ut cutis humesceret et nonnunquam paululum sudaret. Exeunte Augusto, quanquam exanthema nondum cesserat, ad priorem stationem referebatur et per Septembrem balnea cum sapone viridi aliquamdiu continuabantur, at, quum exanthema persisteret, medio Septembri iterum ad scabiosos reducebatur. Temperiei magnae semper aequabili exposita, balneisque sulphuratis et saponaceis usa, conditionem suam aliquanto laetiorem evadere sensit; cutis fere semper mollis, paulo humida fuit, imo articulorum mobilitas aliquantulum increvit. Depulso exanthemate et epidermide magnas per lamellas desquamata, aegrota m. Octobri ad aegrotos morbis internis laborantes referebatur, qui transitus e temperie majori et aequabili ad conclavia nondum calefacta valetudini universae statim injuriam intulit, cutis enim rigiditas et articulorum contracturae continuo increverunt paucisque elapsis hebdomadibus aegrota miserum obtulit statum, quem descripturus sum.

Aegrota imbecilla, tenuis, pedes circiter quatuor et dimidium alta, semper situ supino tranquillo utitur, cruribus abdomen versus attractis, angulo acuto flexis, antibrachiis pectori transversim impositis, cum humeris rectum angulum ita formantibus, ut manus in pectore sese tangant; caput paulo sinistrorsum declinatur. Quem situm ut obtineat, omnium musculorum contracturis cogitur; musculorum motibus spontaneis neque corpus erigere, neque in latus vertere potest, etenim pauxillum mobilitatis artuum, quod superest, ad flexionem tantum pertinet, cujus levissimus gradus mansit, extensio autem prorsus deleta est. Quemadmodum situs iste mirificus, ita reliqua corporis conditio miserrima est. Solum caput atque facies aegrotantis aetati aliquomodo respondent et a singulari totius reliqui corporis affectione abhorrent. Facies adhuc speciem juventutis aetati consentaneam exhibet satisque bene nutrita apparet, singuli ejus musculi adhuc bene moventur; sola capitis pars, quae mobilitate destituitur, lingua est, quippe quae conante aegrota tantum eo usque protendi possit, ut apex ejus inter dentes locatur. Spatium angustum impedit, quominus debila fiat exploratio, insertus tamen digitus indicare videtur, frenulum linguae admodum breve tensumque esse. Collum quoque bene nutritum est ejusque motus quaquaversus promte perficiuntur, attamen cervicis musculi duri ac tensi sentiuntur capitisque extensio aegre, nec nisi exiguo gradu, administrari potest; reclinatio capitis omnino est prohibita, ex quibus, musculos flexores hic quoque principatum tenere, elucet; aegrotae caput semper paulo antrorsum pendet. In corporis trunco id primum mirum videtur, quod anterior thoracis paries fere asseris instar planus est, cujus rei causa

haud dubie a musculorum pectoralium actione inter spirandum sublata cernitür, motus enim respiratorii, admodum debiles, inferiore tantum thoracis parte et abdomine perficiuntur, dum superior pectoris pars altiore tantum inspiratione paululum attollitur. Propterea inferior thoracis pars majorem diametrum et ambitum habere videtur superiore, et si mensurationes indicant, peripherias paene aequales esse, causa in eo est, quod superior pars non mediocri prominentia partis superioris posterioris parietis thoracici posterioris dextri, quae nititur lordosi, amplificatur. Mammarum nullum est vestigium, praeter papillas. In posteriore thoracis latere magna columnae vertebralis curvatura, dextrorsum spectans, ob oculos cadit, quae a prima colli vertebra usque ad inferiorem scapulae angulum maxima apparet et prominentiam ingentem partis posterioris superioris dextrae thoracis efficit. Scapulae paululum antrorsum moveri queunt, ita quidem, ut inter se diduci, sed retro moveri non possint. Musculi integumentorum ventris satis tensi planique sunt, cutis ubique dura et crassescens sentitur, tanquam tela cellulosa subjecta contracta et indurata sit; id etiam peculiaris umbilici indoles innuit, quippe cujus plicae, sicut apud gravidas, prorsus explanatae et laevigatae sint, quod sola telae cellulosae subcutaneae contractione explicari potest. In facie ventris dorsali nihil miri animadvertitur; columna spinalis in vertebrarum lumbarium regione moveri potest, sed fere dextrorsum tantum et sinistrorsum, nihil paene antrorsum et retrorsum. Extremitates maxime macilentae sunt, quo fit, ut deformes articuli ambitum extremitatum superent. Humeri articulus magna virium contentione paucos tantum pollices antrorsum et retrorsum moveri et brachium a thorace

paulo abduci potest. Brachia tenua, baculi instar crassioris, pollicum quinque et dimidii peripheriam habent. Uterque articulus cubitalis adeo est contractus, ut brachium cum antibrachio rectum formet angulum, qui exiguo mobilitatis gradu in acutum mutari potest; extensionis facultas plane deficit. In cubiti articulatione m. bicipitis tendo instar funiculi tensi ac duri bene sentitur; cutis superimposita in facie articuli flexoria adeo brevis et indurata est, ut sola cutis contractura antibrachii extensionem jam prohibeat. Antibrachia (inde a cubito) inter pronationem et supinationem locata sunt, sed neque in hanc neque in illam plane redigi possunt. Peripheria antibrachii, quo loco maximam habet crassitiem, pollices quinque et quadrantem aequat. Articulatio carpi sinistra cum antibrachio eandem lineam tenet immobilisque haeret; dextra carpi articulatio adeo flexa est, ut manus cum antibrachio rectum formet angulum. In pagina dorsali articulationis dextrae carpi duo tumores duri, circumscripti, circiter pisi magnitudinem habentes, non dolorifici, inveniuntur; cutis, qua teguntur, inflammata non est. Articuli digitorum utriusque manus a secundo ad quintum inter phalanges contracti sunt et immobiles modo articulus metacarpi paulo flexilis; pollex sinister rectus, aliquanto flexilis, dexter magis introrsum versus palmam distractus, articuli ejus autem non perfecte contracti sunt.

Femora per coxae articulationes paulo adduci et abduci, nec non abdomen versus retrahi possunt; extensio situ supino propter ingentes articulationis genuum contracturas fieri nequit; si aegrota sedet, sua sponte aliquantum demittuntur. Femorum peripheria in media parte pollices decem et quadrantem aequat. Articulatio genu ita est contracta, ut femur cum

crure angulum admodum acutum fingat; omni caret mobilitate, neque flexionem ullam neque extensionem fieri patitur. Genua, cum extremitatibus superne et inferne ad ossa usque emaciatis comparata, globorum instar eminent, cutis, qua teguntur, maxime tensa est, nitida, tenuis est, nonnulla ulcera cellulosa parva conspiciuntur, quae partim pressioni genuum inter recumbendum sese contingentium, partim pressioni lodicis originem debent. Crurum ambitus, quo loco crassissima sunt, pollices septem cum quadrante aequat. Inde a tarsi articulatione pes, cum extremitate justo tenuiore comparatus, crassus est, tumefactus, livido-rubicundus, cutis splendens, ambitus absolutus vero normalem non excedit. Articulatio pedis paulo mobilis est, digitorum articuli contracti, vix mobilitatis vestigium offerentes. Quanquam miserrima haec conditio omnem aegrotantis motum prohibet eamque perpetuo in lectulo detinet, tamen valetudo universa satis laeta est: organorum digestionis functiones, si ad reliquum corporis statum respicis, bene administrantur; aegrota pauca quidem alimenta, sed cum appetentia, nec leviora tantum, sed etiam carnes, olera, cet. assumit. Alvus regularis est, indigestionem nunquam aegra conqueritur. Pectoris etiam organa functionibus suis debito modo provident; auscultationis et percussionis signa nihil anomali indicant, modo pulsus frequens, centies — centies octies intra sexagesimam horae partem micans, parvus et mollis est. Intellectus functiones cum norma plane consentiunt. Subjectiva aegrotae valetudo haud minus bona est, dolores enim deficiunt, articuli tantum, inprimis genuum articulationes, tactu aliquantulum dolent, sed tantummodo, ut videtur, propter cutem circa ulcera paulo inflammatam atque tensam. Sola abnormis sen-

satio in perpetuo pruritu ac titillatione totius cutis dorsum tegentis cernitur.

Mense elapso observationi meae aegrota subducebatur, sed eam post septimam inde hebdomadem acuto pectoris organorum morbo interiisse, mihi referebatur, quod adnotandum fuit ad explicandas anomalias, quae instituta corporis sectione inveniebantur et tantummodo ex morbo acuto praegresso repeti possunt. Altera parte mutationes musculorum, tendinum, articulorum, telae cellulosae, quas deprehendi, morbo chronico imputentur necesse est.

VISUM REPERTUM.

Cranium parvum erat. os frontis aliquantum crassescens; in sinubus parum sanguinis liquidi; leve piae matris oedema; interna durae matris facies normalis; sinus integri; hypophysis cerebri paulo amplificata; in ventriculis exigua liquoris copia; corticalis substantia debito pallidior, medullaris nitida, vasa ejus satis impleta; pia mater solutu facilis. Colli musculi degenerati inveniebantur, cutis, tela desmoidea solida atque tensa, non mobili, degenerationibus calloso-tendineis musculorum, inprimis partis inferioris sternocleidomastoidei, affigebatur; tela desmoidea subcutanea super musculo pectorali rigida, elasticitatis expers, musculus pallidus, ceterum normae consentaneus. Circa humeri articulum humor rubellus multo adipe remixtus in vagina musculi bicipitis. Articulus antice concretus substantia molli inter caput ossis humeri et membranam synovialem adversam postice magna hyperaemia; tunica synovialis exsudati stratis parvis obiter obtecta. Utrumque cartilagineum involucrum attenuatum, hic rarefactum, illic decolo-

ratum, albidum. Os leviter tractum fractura comminuta irregulari proxime infra caput chirurgicum diffringitur. Cavum medullare peramplum, massa medullari intense rubicunda, succulenta impletum; stratum compactum relative tenue. In membrana capsulari circa externam peripheriam massa propria, friabilis, magnitudine nuclei cerasini deposita est; os in loco correspondente usque ad abolitionem strati compacti atrophicum. Musculi humeri laxi, pallidi, ceterum non alienati. Sternocleidomastoideus sinister non minus callosus ac degeneratus quam dexter, neque non deltoideus. Periosteum facillimum dissolutu. In cubito dextro tela desmoidea admodum crassa, ex parte tendinea, cutis valde tenuis; musculi pallidi, alioquin haud alienati. Posterior pars condyli dextri telae desmoideae adhaesionibus cum radio conjuncta. In fovea posteriore inter ossis humeri condylos facies articularis evanuit, fovea posterior tela desmoidea molli impleta est; olecranon magis antrorsum prominet. Manus, introrsum et versus paginam radicalem flexa, dissectis quoque flexoribus hanc positionem obtinet. Inter articulorum extremitates, inprimis circa radium, adhaesiones; partes cartilaginum periphericae diminutae; ulna per telam desmoideam omnino adhaeret, extremitas articularis attenuata, cartilaginibus privata; os fragile. Facies articulares quoque ossium metacarpi valde diminutae, asperae, cartilagines tenuissimae. Ossa carpi omnia inter se concreta. In genu articulatione cutis maxime attenuata, tela cellulosa subcutanea callosa, musculi atrophici; patella in faciem articularem plane depressa; facies articulares perparvae, cartilaginum margines atrophici; circa externum condyli exterioris marginem osteophytum parvum; ad condylum quoque internum cartilago late

destructa ejusque in locum tela desmoidea tensa, callosa substituta; bicipitis tendo in massam desmoideam densam, tendineam insertus et per hanc cuti adnatus; ipsa cutis intense contracta, ita ut extensionis periculis rumperetur. — In sinistro latere colloidea glandulae thyreoideae infiltratio; glandulae bronchiales leviter amplificatae, tuberculosae; pericardium adnatum; sinister pleurae saccus octo uncias humoris clari, flavidi, serosi, cum coagulis succineis fibrinosis continebat. Cor postice facile solvebatur, parvum erat, parum sanguinis probe coagulati habebat; prope involucrum ejus larga exsudata haemorrhagica; valvulae et caro muscularis satis normales. Sinister pulmo valde contractus, paulo oedematosus, postici paene aëris inops; non tuberculosus; in dextro etiam pulmone oedema tantum et atelectasia. Lien mediocriter amplificatus; pulpa ejus emollita, anaemica, corpora albida amplificata. Hepatis volumen adauctum, parenchyma hyperaemicum, bilis copiosa, fusco-flavida; ren dexter circa axin suum volutus; laevis; viae uriniferae catarrho obnoxiae; vetus concretio tubarum cum ovariis; uterus paulo amplior debito; glandulae mesaraicae subtumidae; intestina passim concreta.

VITA.

Ego, Fridericus Guilelmus Holzhausen, die XV m. Januarii h. s. vigesimo sexto, in oppidulo Soldin natus, patre Carolo quem adhuc salvum pio animo veneror, matre Carolina, e gente Hempel, quam morte jam diu ereptam valde lugeo, confessioni evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Regiomonti in Neomarchia, quod tum temporis directore Cel. Arnold florebat, adii. Testimonio maturitatis instructus, tempore paschali anni h. s. quadragesimi quinto, Berolinam me contuli, et numero civium instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmani adscriptus hisce interfui scholis:

Ill. Werder de logice et psychologia;

Cel. Preuss de historia;

Ill. Lichtenstein de zoologia;

Ill. Link de botanice, historia naturali, toxicologia;

Ill. Weiss de mineralogia;

Ill. Dove de physice;

Ill. Mitscherlich sen. de chemia organica et anorganica, de pharmacia;

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, de pathologia generali, de historia medicinae, de Celsi et Hippocratis libris;

Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia;

Ill. Mueller de anatomia, physiologia, de anatomia comparata et pathologica;

Cel. Bruecke de anatomia microscopica;

Beat. Eck de physiologia, semiotice, de therapia generali, de morbis contagiosis, nec non de simulatis et dissimulatis;

Ill. Mitscherlich jun. de materia medica;

Beat. Horn de morbis psychicis;

Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali;

Ill. Juengken de chirurgia;

Ill. Casper de medicina forensi, de arte formulas rite concinnandi;

Ill. Troschel de arte fascias imponendi, de fracturis et luxationibus;

Ill. Schmidt de arte obstetricia;

Cel. Boehm de akiurgia.

In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Schlemm duces mihi fuere, in operationibus chirurgicis Cel. Boehm.

Clinicis interfui medicis Ill. Wolff, Romberg et Schoenlein; chirurgicis et ophthalmiatricis Beat. Dieffenbach, Ill. Juengken, Exp. Angelstein; medico-forensibus Ill. Casper; obstetriciis Ill. Schmidt.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quam possum maximas gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus philosophus sit, necesse est.
2. Venena non agunt in corpus humanum, nisi resorptione.
3. Aqua frigida praestantissimum remedium.
4. Tenotomiam sine orthopaedia nil prodesse.